

mè per רקיע aërem intelligere vellent, nubes tamen quæ in mediâ vel etiam nonnunquam infima aëris regione hærent, in expanso potius, quàm supra illud esse meritò dicerentur. Præterea *nulla nubes fit per aquarum propriè sic dictarum divisionem, sed effluviolorum in guttulas aqueas resolutionem. Sed aquæ supra-cœlestes factæ sunt per aquarum p. d. divisionem. E. non possunt propriè loquendo nubes dici.* Majorem Physica, minorem Scriptura corroborat.

XII. Argumentum quod nonnulli ex voce שמים extruunt, probabile esset ac ne vix quidem probabile, si vox שמים id agnosceret Etymon quod dare solent. Sed placent nobis verba R. Aben Esræ: וטעם שמים גובה ומעלה וכן בלשון ישמעאל שרובה על מתכונת לש הק' i. e. *Cælum significat altitudinem & sublimitatem, & sic etiam sese habet hæc vox in lingua Arabica, quæ magnam convenientiam cum sancta habet.*

XIII. Id etiam causam nostram egregiè juvat, quod nostræ sententiæ adstipulentur summi viri, qui partim supra Th. 6. laudati, partim ab hisce allegati sunt. Imprimis exosculamur verba B. Lutheri Comm. in Genes. c. 1. f. 6. Tom. 6. Lat. Witteb. *Ego quidem libenter imaginarer Firmamentum esse supremum corpus omnium, & aquas non supra, sed sub cœlis pendentes & volantes, esse nubes, quas cernimus, ut sic aquæ ab aquis distinctæ intelligerentur nubes, divisa à nostris aquis in terrâ. Sed Moses manifestis verbis aquas supra & infra firmamentum esse dicit. Quare captivo hic sensum meum, & assentior verbo, licet id non assequar.*